# APPARATUS
AD
# HISTORIAM SVEO-GOTHICAM
## CELSIANI

***SECTIO SECUNDA;***

QUAM CONSENSU AMPL. ORD. PHILOSOPH. LUND.
EDI CURAVERUNT


**H. REUTERDAHL,**

Phil. et Theol. D:r,

Præfectus Bibliothecæ Lund., Ordini Theologorum Adj.,

ET

**THURE MARTIN BÅÅTH,**

Scan.




Die 28 Maji 1841.

P. XLVIII.

---


LUNDÆ,
TYPIS EXCUDIT C. FR. BERLING,
UNIVERSITATIS TYPOGRAPHUS.
MDCCCXLI.

## Aphorismi Respondentis.

I.

Ciceronianum illud: *Acriores sunt morsus intermissæ libertatis quam retentæ*, verum esse omnis omnium temporum historia testatur, quambrem nihil magis fere est optandum, quam ut illa verba omnium principum animis alte infigantur.

II.

Experientia docet virtutem et felicitatem non semper esse conjunctas, quod rationi humanæ et justitiæ divinæ repugnare videtur. Hæc autem ipsa ratio non solum animos piorum non deprimere, sed ad futuræ vitæ exspectationem et certam spem excitare debet.

III.

Nulla est, nisi in societate, cultura, educatio nulla. Civitas autem, cujus origo et radix est familia, summa educatrix: secundas partes schola tenet.

IV.

Lectio multorum auctorum et omnis generis voluminum habet aliquid vagum et instabile. Certis ingeniis immorari et innutriri oportet, si velis aliquid habere, quod in animo fideliter sedeat. Lectio certa prodest, varia delectat. Qui, quo destinaverit, pervenire vult, unam sequatur viam, non per multas vagetur.

## De concubinariis Sacerdotibus.

Sub interminatione maledictionis æternæ nullus in sacro ordine constitutus teneat concubinam in domo vel alibi, vel mulierem vehementer suspectam. Quod si honoris sui prodigus sic suspectam post monitionem canonicam non amoverit, sciat se excommunicationis sententiam incurrisse. Notorius autem concubinarius debet talliari per suum episcopum, cum consensu sui capituli, ad majorem summam pecuniæ, quam potest exsolvere, ad pios usus per episcopum, cum scitu sui capituli, convertendam, et nihilominus imponatur sibi pœnitentia salutaris. Quod si relapsus fuerit, tunc suspensus ab officio et a perceptione fructuum beneficii debet carceribus ad arbitrium judicis deputari. Si autem, ut canis ad vomitum, adhuc ad similem vitam redire non expaverit, privari debet beneficio, et suspensus ab officio, prout visum fuerit judici, pœnitere. Et isti gradus observandi, quando mulieres sunt solutæ. Quod si mulier maritata fuerit, vel consanguinea vel filia spiritualis, tunc erit juxta canonicas sanctiones durius procedendum. Concubinis autem, quæ sponsum ecclesiæ dei ad illicitum concubitum admiserint, publica septennis pœnitentia debet imponi. Quod si postea relapsæ fuerint, carere debent, nisi infra mensem ante diem mortis iterato similem pœnitentiam susceperint, ecclesiastica sepultura.

## Contra sortilegia.

Damnamus et reprobamus sortilegia, incantationes, divinationes, somniorum interpretationes, et quascunque literas, cum characteribus ignotorum vocabulorum, in sacra scriptura non expressorum, in scriptionibus quas quidam superstitiose valere existimant contra ignem, aquam vel gladium, et alia mortis et morborum pericula. Item omnes scripturas in plumbo oblátas, aut parietibus contra dolorem dentium, febres aut alios quoslibet morbos hominum vel jumentorum. Item omnes modos, quibus utuntur homines occulta furta investigando. Item observationes dierum Ægyptiacarum pro operibus inchoandis, et alia hujusmodi deliramenta, quæ non possunt plene explicari. Quæ si quis inventus fuerit agere, legere, uti, vel portare, tanquam pro mortali peccato puniatur; et si ea ut licita defenderit, ab ingressu ecclesiæ suspensus publica pœnitentia puniatur cum pœna trium marcarum.

## Laici non habent potestatem judicandi super bonis ecclesiasticis.

Declaramus, nullum laicorum habere autoritatem super bonis ecclesiasticis judicandi; immo omnia judicia contra ecclesiam in bonorum suo-

rum abjudicationibus per solos laicos attemptata, dicimus et diffinimus jure canonico esse nulla.

## Capellani quousque non communicent.

Capellani dominorum, sub pœna suspensionis ab officio, non communicent aliquos sine speciali licentia curatorum, quorum parochiani tunc sunt.

## De literis suspensionis eucharistiæ.

Nullus curatus advertat literas suspensionis a communione eucharistiæ de alienis parochiis scriptas, nisi venerint ante dominicam Palmarum, vel in ipsa dominica ante missam, ut fiat publica insinuatio illo die talium literarum. Contra faciens puniatur in tribus marcis.

## De Cancellariis.

Cancellarii pro literis ordinationum non ultra unam oram, pro literis indulgentiarum dimidiam marcam: pro collatione beneficii pinguioris XII. oras, mediocris vero marcam unam recipiant.

## De prædiis ecclesiasticis.

Prædia ecclesiastica desolata, quando debent reparari, si curatus cum ecclesia gaudent pariter agrario et laboritio, ambo sunt in damno et recuperatione. Item prædia, quæ ecclesia emit propria pecunia, libere et integre ex ipsis prædiis levet agrarium, laboritia cedat curato.

## De vino pro sacrificio emendo.

Vinum pro sacrificio ematur ab ecclesia Upsaliensi, et illud campanarius tenetur recipere, dummado curatus seu tutores sibi dederint cum tempore pecuniam pro vino emendo; et si ex defectu vini missa fuerit omissa, campanarius solvat III. marcas. Si autem tutores in culpa sint, tribus marcis puniantur.

## De vino et oblatis.

Sacerdotes sint cauti de vino et oblatis, quod non sint corruptæ, et quod corporalia, pallæ et ornamenta seu indumenta sint munda.

## De Confessione alterius parochiani non audienda.

Nullus audeat alterius parochianum confessare sine licentia proprii curati, nisi ex mandato diœcesani vel ejus officialis in spiritualibus sub pœna trium marcarum.

## De Confessionibus audiendis.

Nullus in domibus privatis audiet confessionem sanorum, præsertim mulierum, nec permittant religiosos suos sic audire confessionem: imo fiat scrutinium super hoc in festo paschæ ante ministrationem eucharistiæ, ubi et quibus sint confessi.

## De Maatskoth.

Curato decedenti post festum nativitatis Christi, puta in quadragesima vel circa pascha, Maatskoth debetur decedenti, et non successori, nisi pro rata temporis; secus si ante festum nativitatis Christi.

## De Maala.

Famulus sive ancilla serviens alicui pro mercede tenetur dare maala; secus si seruit spe hæreditatis, puta filius vel consanguineus.

## De Silffskoth.

Intrans civitatem de rure ante festum nativitatis Christi, qui in rure prius solvit decimas prædiales tenetur ad silffskoth in civitate, liber a maala.

## De convivio Salvatoris.

Omnes curati et presbyteri alii beneficiati intra annum post beneficium adeptum intrare debent convivium salvatoris, sub pœna trium marcarum; et una marca datur pro introitu.

## De Laicis vagis in cimiteriis stantibus.

Laici nolentes interesse divinis, sed stare in cimiteriis vagis verbis se occupantes diebus festivis, moneantur ad interessendum, aut excludantur ab ingressu ecclesiæ, nec introducantur, nisi datis tribus marcis pro emenda; hoc statutum laicis publicetur.

### De caussis, quibus suspenditur quis a communione eucharistiæ.

Non licet aliquem suspendere a communione eucharistiæ, nisi in iis casibus, contra monitionem præmissam, scil. pro decimis, oblationibus, funeralibus, testamentis, legatis, censibus pro benedictione nubentium, introductione post partum, et pro emendis debitis ecclesiasticis viris, liquidis et manifestis; non pro pensione, obligatione, contractibus civilibus laicorum, sub pœna trium marcharum.

### Clerici non intersint clandestinis matrimoniis.

Clerici non intersint clandestinis matrimoniis; clandestinum enim dicitur, cum non habentur testes, nec fiunt cum solennitate, nec præmissis bannis. Pœna contra facientium est suspensio ab officio per tres annos, secundum jura.

### De Oblatione post publicam pænitentiam.

Præpositi introducentes apud ecclesias suas post publicas pœnitentias ecclesiam in oblationibus non defraudent. Quod si fecerint, puniuntur ad arbitrium episcopi, et tenentur ad restitutionem.

### Quod Clerici habeant in præcipuis stationibus superpellicia.

Curati in statione Upsaliensi, puta Erici, Laurentii et die dedicationis Upsaliæ exeuntes intersint processioni cum suis superpelliciis, sub pœna trium marcharum.

### De pœna absentantium se in Synodo.

Qui non intersunt missis prima die et secunda synodi in tribus oris puniantur.

### De chrismate, oleo sancto et infirmorum.

Omnes curati de tribus folcklandis tenentur recipere chrisma novum, cum oleo sancto et infirmorum infra octo dies, computando a die paschæ; in Gestricia infra XIV. dies, in Helsingia infra tres hebdomadas. In Medelpadia, Angermannia nec non Jemptia chrisma novum habeant infra quatuor hebdomadas, a die paschæ computando, sub pœna trium marcharum, nec chrismate antiquo postea utantur. Item in ecclesiis testudinatis pannus unus seu vestis inter altare et testudinem superius extenda-